

MEIER, SEBASTIAN

Oratio funebris in...obitum Dn.M.Enochi
Schwantenii, ecclesiæ parochialis apud
Gustrovienses pastoris...

[1624]

EOD – Millionen Bücher nur einen Mausklick entfernt! In mehr als 12 europäischen Ländern!



Danke, dass Sie EOD gewählt haben!

Europäische Bibliotheken besitzen viele Millionen Bücher aus der Zeit des 15. – 20. Jahrhunderts. Alle diese Bücher werden nun auf Wunsch als eBook zugänglich – nur einen Mausklick entfernt. In den Katalogen der EOD-Bibliotheken warten diese Bücher auf Ihre Bestellung – 24 Stunden täglich, 7 Tage die Woche. Das bestellte Buch wird für Sie digitalisiert und als eBook zur Verfügung gestellt.

Machen Sie Gebrauch von Ihrem eBook!

- Genießen Sie das Layout des originalen Buches!
 - Benutzen Sie Ihr PDF-Standardprogramm zum Lesen, Blättern oder Vergrößern. Sie benötigen keine weitere Software.
 - *Suchen & Finden*:* Mit der Standardsuchfunktion Ihres PDF-Programms können Sie nach einzelnen Wörtern oder Teilen von Wörtern suchen.
 - *Kopieren & Einfügen*:* Text und Bilder in andere Anwendungen (z.B. Textverarbeitungsprogramme) einfach kopieren und einfügen
- *Nicht in allen eBooks möglich.

Allgemeine Geschäftsbedingungen

Mit der Nutzung des EOD-Services akzeptieren Sie die allgemeinen Geschäftsbedingungen der bestandshaltenden Institution.

- Allgemeine Geschäftsbedingungen:
<https://books2ebooks.eu/csp/de/nls/de/agb.html>

Weitere eBooks

Schon fast 40 Bibliotheken in mehr als 12 europäischen Ländern bieten diesen Service an.


Finden Sie weitere Bücher zur Digitalisierung: <https://search.books2ebooks.eu>
Mehr Information unter <https://books2ebooks.eu>

ORATIO FUNEBRIS
In præmaturum at beatum obitum
Reverendi & Clarissimi Viri
Dn. M. ENOCHI SCHVVANTENII
Ecclesiæ Parochialis apud Gu-
strovienſes Paſtoris vigilantiffimi, 4 Non.
Septemb. placide in Chriſto defun-
cti, Scripta & publice recitata

à
M. SEBASTIANO MEIERO LUBEC.
Scholæ Guſtrov. Rectore.

Anno
M. D. C. XXIV .23. Septemb.
hora à 9 in 10. matutina.

GUSTROVII
Exſcripta Typis
D. JOHANNIS VENATORIS.





*Reverendis, Magnificis, Amplissimis,
Clarissimis & Prudentissimis Viris.*

- DN. LUCÆ BACMEISTERO, S. S. Theol: Doctori, & Superintendenti Güstroviensis, & adjunctarum Ecclesiarum, fidelissimo.
- DN. JOANNI COTHMANNO, ICTO Celeberrimo, & Reverendissimi Principis ac Domini, DN. JOANNIS ALBERTI, Ducis Megapolitani Consiliario fidelissimo.
- DN. MARTINO GERDES, J. U. D. Consuli, & Reipub: Güstroviensis Syndico polychristo.
- DN. JOANNI CROLLIO, Medicinæ Doct. Celeberrimo, & felicissimo.
- DN. GERHARDO Hagemeistern / Consuli Reipub. Güstroviensis meritissimo.
- DN. M. DANIELI MICHAELI Ecclesiæ Güstroviensis Pastori insigniter probatissimo.
- DN. JOACHIMO Koch / Civi Reip. Güstrov. primario.

Omnibus & singulis, piè defuncti Fautoribus, Collegis, & Affinibus: Dominis Fautoribus & Amicis meis aeternum honorandis.

S. P. D.

INter omnia, quæ in tota rerum
 universitate cernuntur, ἡ παιδεία τῶν
 ἐν ἡμῖν, μόνον ἐστὶ ἀθάνατον, καὶ θεῖον, atq;
 divinū hoc in se continet, ut qui per eam
 peritant, non intereant, sed immortali-
 tate donentur. Virtutem enim, etiam-
 si id non agas, necessario tamen sua glo-
 ria sequitur. Viderunt hoc, & ad ani-
 mum probè revocarunt Majores nostri,
 eamq; ob causam statuas plumbo inha-
 rentes, Triumphos virentibus laureis,
 atq; alia stabiliora premiorum genera,
 Virtuti ejusq; alumnis erexerunt. Non
 obscurum Virtuti Testimonium perhibe-
 bant Romani, quando defunctis insignia
 honorum, quos gessissent, fasces, secures,
 atq; totius familiae, longo ordine simula-
 cra in oblongis perticis sive hastis prefe-
 rebant, ab ultima origine, quanto, cum
 poterat, apparatu; Majus aliquid in lu-
 dis occultabant, quos à Grecis Romani

Plutarch.

Pl. Capt.
A. 3. S. 5.Cicero 1.
Tusc. p. 91.Cicero in
fragm.Ros. lib. 5.
cap. 39.

Rof. lib. 5.
cap. 24.

Lib. 6.

in vita Po-
plic. p. 69.

mutuarunt, & primus eorum Iunius Brutus suo defuncto patri exhibuit: Maximum tamen omnium neq₃ cum hisce comparandum, quod Polybius refert: Illustris ac splendidi generis, meritisq₃ in Rempub. insignes defunctos, primum in forum latus, atq₃ ibi funebrem orationem recitatam fuisse. Et primus quidem apud Romanos, funebri oratione collegam suum Iunium Brutum laudavit P. Valerius Poplicola consul, Anno primo post Reges exactos. Quam orationem tam acceptam tamq₃ charam populo fuisse Plutarchus scribit: ut inde tractum sit, ut omnes boni ac magni viri, cum fato concessissent, ab optimis laudarentur: qui honos posterioribus temporibus, etiam illustribus juvenibus, et claris mulieribus cessit, (licet in alia Thucydides sit sententia, statuens, probe mulieris nomen, itidem atq₃ corpus, domesticis parietibus contineri oportere) & secundum Romanorum leges

*leges, Leontidis, præstantissima mulieris
 virtutes, proluxa oratione Plutarchus pro
 secutus est: quin & ante eum in fæmi-
 narum gratiam, poetarum Phoenix Ho-
 merus, funebria scribere, stylumq; strin-
 gere non erubuit. Hunc morem, Bono-
 rum exemplo, & ego nuper imitatus, Re-
 verendi & Clarissimi Viri Dom. M.
 ENOCHISCHVVANTENII, vi-
 tam, resq; gestas, brevi, & tenui oratione
 non qua debui & volui, sed qua potui,
 complexus sum, eamq; (ut nostis) in am-
 plissimo præclarorum Virorum confesso
 pronunciavi, & ab illo tempore semel atq;
 iterum de ejusdem publicatione monitus,
 amico, suo remigio rem eo deducendi mo-
 rem gessi, eamq; Memoria & honoribus
 piè defuncti publicam & sacram esse in-
 dulsi. Cum verò, quibus eam offerrem,
 tacitè mecum disceptarem, illi statim oc-
 currerunt, qui Reverendo nostro Eno-
 cho, dum vivebat, vixerunt amicissimi,
 -SM A 3 ejusq;*

Lib. de Cl.
 mulierib.
 pag. 26.
 Plutarch.
 de audien-
 da poet.
 p. 161.

ejusq³ posterorum manserunt studiosissi-
 mi. Inter quos, cum vos, Reverendi,
 Amplissimi & Prudentissimi Viri se-
 cundum viduam, primas ducere lineas,
 existimem: Vos etiam hac inscriptione
 mea praterire nequaquam potui. Acci-
 pite itaq³ chartaceam hanc Amici vestri,
 ab amico, congestam & erectam memori-
 am, non qualem Virtus defuncti exige-
 bat, artificiosè perpolitam, sed qualem
 praconis occupationes permittebant tu-
 multuario deproperatam, atq³ in exili
 studio, animum & benè merèdi conatum,
 vestra benevolentia promovere, mihiq³ &
 meis studiis favere pergite. Dabam ex
 Museo meo, Anno M DC XXV. Cal.
 Jan.

M. Sebastianus Meier Lub.
 Scholæ Gustrov, Rector..

*Magnifici, Reverendi, Clarissimi,
Prudentissimi Hum: Viri, Faut:
& Amici pl. colendi,*

CUm, quæ hominem circumstant mala, quæq; in dies quasi agmine facto, nova invadunt, & arte nulla, nullaq; industria declinari possunt, nobiscum perpendimus & consideramus: merito cum muliercula apud Comicum ingemiscimus: *Ab quam parva res est voluptatum in vita, atq; in ætate agunda, præ quam quod molestum est.* Ponimus enim nobis ante oculos vitæ humanæ seriem, & primo ejus *ingressum*, parum, parum omnino voluptatis, aut duraturæ lætitiæ in eoprehendemus:

Infantem tumidâ Mater cum gestat in alvo Carceris in tenebris conditus ille jacet. Mediam deinde ætatem: vitæq; *progressum* respicimus, neq; Aqua aquæ, aut Lac lacti, ut est apud Comicum, dici potest similis, quam hic NAVIGANTI convenit. Quemadmodum enim navigans, sive stet, sedeat vel jaceat, semper vadit, quia ventorum remigio Navis impulsâ ducitur.: Sic etiam Homo, sive vigilet, sive dormiat, per momenta temporum, quotidiè ad finem vitæ festinat. Imo, sicuti Navigantes, magno semper in metu sunt, & fracto atq; consternato animo, modo præruptos aquarum montes, modo phreneticam ventorum rabiem, hinc inde Naviculam
agi-

Vitæ ingressus.

Vitæ progressus.

Homo similis naviganti.

agitantium cernunt, & mortem præter nihil, in vastosissimo maris pelago sperare possunt: dum

Una Eurusq; Notusq; ruunt creberq; procellis
Africus, & vastos jactant ad sidera fluctus:

Ita etiam Vita, mari similis est,

namq; ut mare, vita procellas

Hæc habet & ventos, naufragiumq; frequēs.

Est quidem Homo inter animalia omnia præstantissimum, perfectissimis donis a DEO ornatum, unde & divinum animal, Mundi Theatrum, & *μικρόκοσμος*, seu parvus mundus, nominari consuevit: sed omnia titulo tenus, nihil firmum, nihil stabile in eo cernitur: Morti, morti, inquam, repentinæ & subitanæ obnoxius est. Summam aliis in rebus plerisq; omnibus constantiam Natura observat, & æqvabilitatem tuetur. Cælum definito temporis intervallo, ut multis retro sæculis, circumrotatur. Non alio, quam à prima origine sua modo, SOL, hæc inferiora collustrat, stabili semper, fixaq; sede Astra manent, nec novas subinde mansiones *Elementa* qværun. Sunt, ut & illud addam, *μακρόβια*, alia animalia: Est de qvorundum sententia, adeo vivax Cornicula, ut novies vivendo justam senescentum hominum ætatem superet:

Et qvater egreditur, Cornicis sæcula, Cervus? Alipedem cervum, ter vincit Corvus, & illum Multiplicat novies Phœnix reparabilis ales? quemadmodum qverelâ hanc suo tempore Theophrastus usurpavit. Quid Homo? More fluentis

Homo inter animalia præstantiss.

Naturæ in aliis rebus constantia.

Animalium vivacitas.

Cornicula.

Cervus.
Corvus:
Phœnix.
Hominis infirmit.

Et qvater egreditur, Cornicis sæcula, Cervus? Alipedem cervum, ter vincit Corvus, & illum Multiplicat novies Phœnix reparabilis ales? quemadmodum qverelâ hanc suo tempore Theophrastus usurpavit. Quid Homo? More fluentis

tis

tis aquæ anni ejus decurrunt. Consumpto vel debilitato paulatim, *Humido*, ut vocant, radicali, tristissima morborum seges, fœcundo quasi enata semine, progerminat: Aère: vel pravæ terræ exæstuationibus, vel aliis halitibus inquinato, subito iterum HOMO, terræ collum subdere, ex hominibus abire, & ultimum mundo VALE dicere tenetur. Ita ut nihil etiam in ætate media, seu vitæ progressu, quod Cordato arridere possit, compareat. Quid porro de lamentabili vitæ *egressu* dicemus? Qui, quantus, quantus est, calamitate, miseria & solitudine refertus est, & viva minimeq; adumbrata doloris signa præsentat? Ut alias mortis calamitates præteream, neq; eorum dolores, qui inopina & insperata morte conciderunt, refricem, atq; illud silentio involvam, quomodo Poëta Æschylus, testudinis marinæ insuper decidētis ictu perierit, ædium ruina oppressus sit Eupolis Atheniensis, risu expiravit Chrysippus, Zeuxes Heracleotes, præ nimio gaudio animam emisit, mœrore confectus Terentius naturæ debitū persolverit: Quantum mœroris & solitudinis decumbentiū ingenerari animis arbitramini, cum ægroti viribus exhausti, potentiis naturæ fractis, Mortem, & præsentissimam Mortem, simulq; charissimam conjugem cum prole, præsentem, tristitia atq; mœrore confectam, caligantibus plus oculis aspiciunt? Quantis insuper curis & mœroribus tristissimam obferi conjugem putatis: dū se cum liberis, à dulcissimo Mariti amplexu avelli

Vitæ egressus lamentabilis ob varia accident.

1. Mortis subitaneæ exempla.

Æschylus.

Eupolis.

Chrysippus.

Zeuxes Heracleotes.

Terentius.

2. Doloris ex separati one duorum præstantis.

Amicorum

Conjugis

& Mariti.

Corp. &

An.

pretiosissimo privari bono, nullo medicante, vel FATUM propitiante genio cernit? Quando corpus mœrore totum & solitudine diffluit; seq; jam fidelissimo Achate destitutum, vermium & viperarum escam futurum, præsentit? Quando Anima veteres relinquere sedes, novasq; migrare sub auras, & novo contubernio frui, tristatur?

Conclusio.

Et quis omnes Mortis calamitates, quibus lugentium ædes squalent, Theatra obfuscantur, animi quasi extinguuntur, examussim recensere, vel, tam brevi temporis curriculo per censere potest?

Oblata nobis, (utinam post multos demum annos oblata fuisset) de hisce cogitandi, insperata, luctusq; plena occasio, dum crudelis, & inquieta *Sorum Triga*, pro sua in pios violentia, & odio concepto Parochialis Ecclesiæ Antistitem, Rev. & Cl. Virum, DN. M. ENOCHUM SCHWANTE NIUM, filo vitæ inciso, ex hominum cœtu eripere, atq; infra mortuos amandare tentavit.

Propositio orationis.

Mos Parentandi apud Ethnicos.

De cujus vita, cum breviter hac hora vobiscum communicare decreverim, non novitatis studio, sed Majorum more, ab ipso opt: max: DEO introducto, tum etiam ab irreligiosis Ethnicis, sacro solenni; habito, uti P. Valerii Poplicolæ, in Collegam suum, Junium Brutum, funebris oratio, tum alia Mausolea, statuæ atq; imagines, in defunctorum memoriam erectæ testantur, ut meum in Rev. Ministerium, & in defunctum amorem & observantiam, tum etiam in omnes literatos, & literarum amantes benivolentiam pro-

ba-

barem: Vos, Audit. Magnif. Rev &c. ea qua
possum, quaq; debeo, observantia rogatos volo,
ut eo, quo accessistis animo, orationis meæ cur-
sum promovere dignemini. Ego, quantum pote-
ro, integram vitæ Schvantenianæ periodum, bre-
viter & perspicuè vobis delineare, omni cona-
mine totisq; viribus allaborabo.

Qui de re militari scribunt, in deligendo exer-
citu, non staturæ, vultus ac proportionis corporis,
aut etiam artis, vitæq; conditionis, rationem esse
habendam: sed etiam Patriam & regionem illam
considerandam esse monent, ex qua milites le-
guntur. Congruere hoc ipsum, & apprimè in-
stituto nostro congruere videtur, ubi piè defun-
cti M. ENOCHI militiam, (quid enim vita homi-
nis aliud, quam perpetua pugna) ordine recense-
re suscepimus. Et primum per magni referre
existimo, dici: Qua ipse Patria natus sit, cum sem-
per in maxima felicitatis parte *Patria* deputetur.
Sapientissimus Plato, præ aliis & hoc nomine, *Nat-
uræ* se devinctū magisq; obstrictum profitebatur,
quod hominem eum, & non Brutū animal, quod
Marem, & non Fœminam, quod Græcum & non
Barbarum, quod Atheniensem, & non Thebanū
genuisset: Ad virtutis enim culturam, remq;
præclare & laudabiliter gerendam, præclaram Pa-
triam multum prodesse didicerat: Sicuti non-
nunquam obscura multis obesse solet, non quod
Honestas, Virtusq; viri ex Patria petatur, sed quod
præposterè atq; perperam ita multi judicent, &

Patria In
milite con-
sideranda.

Hominis
vita est mi-
litia.

Job. 7.

Præclara
Patria ma-
gnū bo-
num.

Platonis
Gr. pro pa-
tria.

Obscuræ
Patriæ in-
commoda.

Exempla e-
orum, qui
ex humili
patria ma-
gni evase-
runt.

MALCHI-
NUM.

Anacharis
defensio.

patriæ humilitatem, indigenis exprobrare, non erubescant. Quis enim, si ex præclara Patria, & non potius ex Hominum meritis felicitas penderet; *Numam Pompilium* ad Romanum regnum, *Septimium* vero *Severum* ad imperium pervenisse, affirmasset? Et hoc ipsum probè intellexerunt magni nominis Philosophi, semperq; Virtutem pluris, quam Patriæ celebritatem fecerunt. Quis nescit Biantem fuisse Prienam, Pythagorâ, Samium, Democritum Abderitem, Aristotelem Stagyritem, Theoprastum Lesbium, & tamen omnes & singulos, Virtutibus suis, quasi gradu facto, ad summos honores, rerumq; fastigia penetrasse. Pari quoq; ratione, & piè defunctus noster acquiescere potuit, & libens etiam acquievit, quod non magnæ & illustris urbis civis esset, sed quod magna & incluta civitate sese dignum præstitisset semperq; præstaret. Et sanè MALCHINUM, si paucas hujus Ducatus, superiores civitates exceperis, cum reliquis, ob loci amoenitatem, fertilitatem agri, atq; rerum aliarum, salubrium præfertim piscinarum copiam, tum Ecclesiæ & Scholæ constitutionē, & temperatam aeris clementiam, de primatu contender; licet se in amplissimarū civitatum societatem offerre non possit. Et cui hominum præclara semper patriâ nasci contigit? ANACHARISIS, cum ipsi ab Attico quodam, patriæ humilitas exprobraretur, regerebat iniquens: Quemadmodum laudi est, apud Barbaros natum, Græcorum Disciplinas scire: Ita turpe est, apud

apud Græcos natum, ad Barbarorum castra defle-
ctere. Et hanc causam fuisse arbitror, quamob-
rem Clarissimi quique Philosophi, Patriam prorsus
suppressam, tantum sese MUNDANOS esse pro-
fessi sint; uti de Socrate, Diogene, Solone, aliisque;
præclaris Viris Historiæ testantur. In hac vero
suâ Patria, ante decem plus minus lustra, Anno sc.
à Christo nato sesqui millesimo septuagesimo sex-
to ab honestis & piis parentibus prognatus, in pri-
mo ætatis flore artium & pietatis sacris initiari
cœpit. Noverunt enim Parentes optimi, & probè
cognitum habuerunt, ipsam Infantiam flectendam
& fingendam esse. Et sicuti corporis membra, ab
ipsa statim nativitate fingere necessarium est: ut
recta, & non tortuosa nascantur: Ita etiam ab ini-
tio mores puerorum concinnè formari oportere:
Et quod Poeta Phocylides admonere voluit:

παῖδ' ἐπ' ἐόντα χρεῶν δὴ καλὰ διδασκόμεν ἔργα.
propterea honestè illum atque piè educarunt, & pro-
virium suarum facultate (licet ad pertexendam
studiorum telam, sibi inferiores viderentur, mi-
nus arcæ confiderent, & necessarios ad studia sum-
ptus polliceri non possent) tantum tamen, quan-
tum potuerunt, erogarunt, quod etiam æqui bo-
niq; consuluit, parentum fortunam patienter tulit,
& clarissimorum virorum exemplo, ad divinarum
Artium capeffenda studia inflammatus, ab iisdem
deterri non voluit. Et sanè non immerito: Neque
enim qui Mydæ divitias possidet, Arabum habet
gazas, Zopyri abundat opibus, Pelopis talentis af-
fluit

Philoso-
phi se Mun-
danos dixe-
runt.

Defuncti
NATIVI-
TAS.

Infantia fle-
ctenda.
Simile.

Paupertas
Scientiæ
non obest.

fluit, pilo melior est, vel ad studia aptior eo, qui Codro pauperior, nudior paxillo, vel Pausone mendicior habetur. Audiverat etiam ex Præceptoribus suis Periclem gloriari solitum, Athenis, neq; *πειρίαν*, neq; *ἀξιώματιος ἀφάνειαν*, paupertatem aut generis obscuritatem quenquam impedire, quo minus ad honoris dignitatisq; gradus evehatur, vel in senatorium ordinem cooptetur. Pauperem Epaminondam Thebanum extitisse, atq; non egestatem: vel inopiam impedivisse, quo minus imperatoris munia fortiter obiret. Sic Socratis Matrem fuisse obstetricem, Aristotelem ob inopiam militasse, molistrusatilibus Plautum operam dedisse, non lauta fuisse re Pythagoram, Demosthenem, Æschynem, Pyndarum, Virgilium, plurimosq; alios adolescentes studiosos egestate premi, ut uno eodemq; tempore, & cum dura paupertate bellum gerere, & sese inscitiae opponere cogantur.

Hoc itaq; Præceptorum consilio fretus, non de vitæ genere scholastico, cum alio quæstuoso & avaro commutando censuit, sed alibi fortunam experiri, rerumq; vicissitudines subire decrevit, & jactis ex parte fundamentis, non quod hodie, cum præsentissimo suorum studiorum damno temere multi conantur, exteras, longeq; remotas regiones visitavit, sed in communi patria, aliam nobiliorum & hanc Gustroviensem scholâ sibi elegit, atq; sub Rev. & Clar. Viri Dn. M. CHRISTIANI DORN MANNI, egregii in formanda juventute arti-

Neq; hono-
ribus.

Exempla
pauperum
vectori.

Defuncti
studia.

In Schola
Gustrov-

artificis Magisterio, per integrum quinquennium Musarum in castris strenuè sudavit, donec tandem post multa & varia eruditionis specimina dignum judicavit, quem communi collegarum suffragio, Rude donatum exauctoraret, & ad regias scholas, ablegandum curaret. Unde & bonis avibus postea, & felici fidere Argenteratum pervenit, & sic ab inferioribus, ad medias, ab his deniq; ad superiores ascendit, semperq; illas contendit civitates, quæ & bonas leges, & Morum concinnam compositionem, atq; politam vivendi consuetudinem probarent. Nam ut hanc nostram modo indictam patiar: Argentinensium Rempub. cū splendidissimo Græcorum Athenæo, non modo non comparari, sed etiam ei præferri posse, doctiores contendunt: In qua omni ex parte, aliquid amplius, quam de Atheniensium republ. affirmari potest, reperiri dicitur. Ad quam ob veritatis confessionem exulantes, appropierant, studiorum gratia peregrinantes unicè contendunt, & inopes atq; egeni sacram quasi ad anchoram confugiunt: Et profectò una in re Athenas longo post se intervallo relinquit: Religione nimirum Vera, quã & Plato bene constitutæ Reip. fundamentum esse asserit, ideòq; hanc fert legem, ut de Deo colendo primum caveatur.

Ab hac itaq; tam provida & benigna literarum & literatorum nutricula receptus, non usitato multorum exemplo, qui nihil prius aut antiquius: exulcerato hoc seculo habent, quam hinc inde va-

gari

In Acad:
Argentin.

Laus Argē-
tin: Reip.

Religio Re-
ip: funda-
mentum.

Defuncti
sedulitas.

Auditus
scientiæ
principiū.

Vivæ vocis
efficacia.

Religio
ip: lauda
monum.

gari, diu abesse, annis pannisq; obsitos redire: subito iterum eam relinquere, aut compransores, & collusores quærere, aliasq; quam quæ ad Acroteria deducunt vias, investigare voluit, sed Præceptoribus audiendis fuit diligens, constans & assiduus. Vidit enim, quod videre hodiè multi non volunt, asserit verò Philosophorum princeps Aristoteles, uno omnes docti ore probant, & experientia confirmat, *πρὸς τὴν ἐξ Φρόνησιν*, plurimū auditum conferre, ac disciplinæ sensum esse, auscultatione diligenti assequi adolescentes studiosos ea, quæ non pauci, sed innumerabiles propè viri, vel ipsi invenerunt, vel inventa ab aliis acceperunt, & horula unica, difficultate nulla, aut per quæ exigua assequi: Vivæ vocis majorem vim & efficaciam esse: Discipulorum, ut rectè scribit quidam insidere animis altius, hærare tenacius, occurrere promptius, dare plenius ea, quæ à Præceptoribus in scholis audiuntur, quam quæ domi, vel acri studio leguntur. Solitarios deniq; & *αὐτοδιδάκτες* cum vel de suggestu populus docendus, vel juventus in scholis erudienda, tum demum reperire, quæ, quot, quantaq; sibi desint, idq; Poetæ cum summo dolore usurpare:

O mihi præteritos referat si Jupiter annos.
In Auditoriis ergò sese, non aliis locis inveniri passus est, omne illud tempus sibi perire duxit, quod Præceptoribus vel domi, vel in schola non tribueret; atq; ita sedulo, tanquam frugi & paternarum Virtutum æmulus filius, orbitam à Præ-

Præceptoribus calcatam notare, & Præceptorū
 insistere vĕstigia contendit. In Conversatio-
 ne porrò, Doctrinæ atq; eruditionis amore fla-
 grantes, Artitos atq; literatos Viros sibi comites
 quæsiuit. Est enim, ut Poëta Theognis ait: Vir-
 tutis quædam exercitatio, cum doctis viris con-
 versatio, nunquam ad tales quisquam accedit,
 quin semper doctior recedat. Et hac conversati-
 one, delectatus Plato, cum Ægyptiorum sacerdo-
 tibus vixit, & Archyta familiariter usus est; sacris
 initiari Judæorum, Persarum frui conversatione
 Pythagoras voluit: Annos viginti apud Plato-
 nem Aristoteles consumpsit; Euclides etiam capi-
 tis proposita pœna, tunica indutus muliebri, Me-
 garis, Athenas profectus est: & ne baculo quidem
 ab Antisthene Diogenes abigi potuit. Ad eun-
 dem quoq; modum, de quo nunc agimus, piè de-
 functus M. E NO CH U S, præcipua lumina, non
 modo Argentinensis Academiæ, sed etiam totius
 Germaniæ: Reverendos & Excellentif Viros, Dn.
 JOHANNEM PAPPUM & Dn. ERASMUM MOR-
 BACHUM, S. S. Theol. Doctor. & Professores
 publicè audivit, & privatim adiit sapissimè, & in-
 signibus, tum Philosophis & Oratoribus operam
 dedit, atq; ita sese cum in studiis & moribus pro-
 bavit, ut amarint eum plurimum, & supremos ei
 in Philosophia honores, unanimi totius Collegii
 consensu adjudicarint, deniq; eo rem deduxe-
 runt, ut in Collegio Wilhelmitano, publica pæda-
 gogiâ fungeretur, quam etiam summa cum laude

C

pieta-

Defuncti
 conversa-
 tio.

Conversa-
 tio cum do-
 ctis, Majo-
 ribus sem-
 per appro-
 bata.

Defuncti
 promotio.

Officia pu-
 blica.

Defuncti
peregrina-
tio.

Præposte-
ræ peregrina-
tio : incō-
moda.

Peregrina-
tio. pro-
hib. Sparta

Causæ pe-
regrinatio-
nis.

pietatis, doctrinæ, morum, probitatis disciplinæ
studii & amoris fideliter sustinuit, spartam egregiè
ornavit, & ab illo tempore, differendò dicendòq;
diligentiam & industriam suam toti Academiæ
probavit, cujus etiam benivolentiam in promo-
tionibus sensit, & commendatione illius Nobili-
bus aliquot in itinere junctus, universam hoc mo-
do perlustrandi Italiam (ad quã toto semper pro-
pendebat animo) occasionem nactus est, & cum
ingenti studiorum suorũ incremento, peregrina-
tiones remotissimas, sibiq; in tota vita utilissimas
suscepit. Non ut hodie permulti, qui nulla re-
rum cognitione tincti, nullã imbuti scientia, non
eruditionis probè jactis fundamentis, externas
regiones lustrant, interea studiorum telam inci-
dunt, lingvas expoliant, mentem variis imbue-
re artibus postponunt, arduis post domum rever-
si negotiis adhibiti, pisce, quod ajunt, magis muti
deprehenduntur. : vel ut Telemachus, Ulyssis fi-
lius, qui, prout molliter à matercula domi educa-
tus, sine fructu vidit quædam, ultra non progressus
est : vel ut ejusdem socij, qui à Circe venefica in
animalia sunt varia conversi, quod abusi, non usi
rectè peregrinatione suã; Quo nomine, & sapi-
entissimus Lycurgus Sparta peregrinationes pro-
hibuit, ne scilicet pravi extranei mores, vitæq; non
probè institutæ imitationes in urbem inveheren-
tur. Nihil in quã horum, vel simile quicquam
in peregrinatione suã Rev. noster Enochus quæsi-
vit; sed clarissimorum virorum hortatu impulsus
&

& laudatissimo Majorum exemplo confirmatus, qui studiorum gratia longinquas suscepere peregrinationes, eas adornavit. Quis nescit Platonem, ut Geometriam & Astronomiam disceret, in Ægyptum profectum esse? Ut siderum motus contempleretur, ad Persarum Magos, sese Pythagorã contulisse, Aristotelem viginti annos Platonem audivisse. Et quot hodiè præstantes Jureconfulti & Medici studiorum gratia in Gallijs, Italia, alijsq; in locis commorantur, vel eò studiorum amore se conferunt. Præter hanc verò & aliam non minorem, suæ peregrinationis rationem habere potuit; scilicet ut plerasq; in totâ Italia Civitates oculis suis videre, & populorum ibi comorantium, vitam & mores observare posset. Quis unquam inde reversus VENEETAM urbem satis de prædicare potuit, in qua tot canales, quot vici conspiciuntur: Ipsa Urbs cincta undiq; aquarum mole, quasi muro quodam est, nec tamen fluctibus obruitur. In qua Palatia plurima conspiciuntur, statuæ variæ cernuntur, columnæ inauratæ videntur, templa & in his *Ἐραθίσματα* seu donaria monstrantur plurima.

Quis non utrâq; quod ajunt, manu in cœlum laudibus Romam evexit: S. Angeli castello, munitione, Mausoleis, templis, statuis, hortis, palatiis aliis claram? Taceo hîc Senensem Civitatem, propter pulchritudinem ædificiorum, tum publicorum tum privatorum magnificentiam,

Exempla eorum, qui studiorum gratia peregrinati sunt.

Altera peregrin. susceptæ causa.

Venetæ laudēs.

Roma.

Senis.

Bononia.

Patavium.

Turris Pi-
fensis.Defunctus
proficiscit.
Vitebergā.Vocatur
Borsholmi
am ad Re-
ctoratum
Scholæ &
Pastoratū.

maximè templum illud splendidum, cujus simile nullum tota in Italia reperiri dicitur, commenda-
tissimam. Silentio prætereo BONONIAM stu-
diorum, & studiosorum Matrem, & ob palatia,
Academiam, & alia maximè amœnam. Nihil
dico de PATAVIO, propter Academiæ celebri-
tatem, Palatium, Hortum, Tempa, & ædificia in-
signia maximè præclaro. Elabi patior, Portum
Anconæ, Ferrariæ fontes, insignem Florentiæ
curiam, Epitaphia Neopolitana, & turrim Pisen-
sensẽ, ex marmore altè & artificiosè extructam,
& inter septem Mundi miracula relatam: Quibus
omnibus piè defunctus noster, oculos suos pascere,
seq; oblectare, neq; oblectare tantum, sed & pluri-
marum inde rerum scientiam, ad quam omnes
natura ducimur, sibi comparare, nec non eximi-
um prudentiæ privatæ & publicæ compediũ fa-
cere potuit, quo domi suis præesse, & foris in com-
muni vita multis prodesse posset. Ex Italia ve-
rò post diurnas peregrinationes reversus, ad in-
clutam Witebergensem sese contulit Academiam:
Ex hac postea singulari DEI providentia ad Re-
gimen scholasticum, simul & functionem Ecclesi-
asticam Borsholmiam vocatus est, & officium sibi
deligatum, tam in Ecclesia, quàm Schola, eã qua
omnes fideles Præceptores decet, industria & fide-
litate sustinuit, totamq; vitam Juventutis infor-
mationi dedicavit, mentes discipulorum pietate,
rerumq; pulcherrimarum cognitione imbuir,
linguam Attico lepore formavit, mores polivit,
id

id deniq; effecit, ut ipsi secum honestè vivere, suis ornamento & voluptati, Reip. verò emolumento esse possent. Inprimis verò sapientissimi totius Græciæ Platonis præscriptum observavit; ut primò, non leviter & perfunctoriè, sed diligenter doceret, & adhibito examine, discipulorum ingenia exploraret, & quibus iidem peccarent in rebus commonstraret: Secundò, ut commoda methodo, ea, quæ publicè proponere constituisset, doceret, nec solum rem ipsam, sed etiam rei parandæ rationem, fideliter traderet: Tertiò, ut vita cum verbis & doctrina concinnè conveniret, neq; altera dirueret, quòd prima manu ædificasset.

Cum verò pro tot tantisq; laboribus, quos perquam molestos, & sine numero privatim & publicè, per integrum sexennium sustinuisset, parum præmii & remunerætionis, multum verò conviciorum & calumniarum referret, tum etiam, vitia, quæ refecare in juventute conatus fuerat, multipliciter suppullulare videret, & mille in discipulis decipiendi artes olfaceret: eorundem stupiditatem, immodestiam, Parentum querelas, & præpostera etiam eorum, qui meritò scholis, & scholarum Moderatoribus, ex animo cupere, eorum famam ab interitu vindicare deberent, iudicia, in Parentalibus, Sponsalib⁹, aliisq; publicis conviviis experiri, maledictis vapulare, sexcenta præterea alia, sine contradictione, à rigidis & Lycurgæis, si Dis placet, censoribus, qui de ponte præcipitare tenes, supplicibus libellis, superiorum odium accèdere,

Præceptoris requisita observavit.

Præceptorum præmia.

Redit Ro-
stochium.

Recitat o-
rationem
de Syncre-
tismo Ec-
clesiæ &
Scholæ.

Innotescit
popularib.

dere, & Præceptores seu scyphos, pro libitu remo-
vere & surrogare minantur, perferre, nec non
procacis eorum linguæ gymnasiûm esse cogere-
tur, tandem molestissimam functionem DEO iti-
dem animum mentemq; ejus inclinante, deferere,
& alibi locorum fortunam suam experiri cogita-
vit, atq; ex Holsatia, veteres visitare penates, &
exiguum temporis sub ista cœli plaga:

Qua scatet Aœniis Varnus amœnus aquis,
commorari constituit, non tamen torpere ibidẽ
aut turpi diffluere otio, vel curare cuticulam, aut
alio modo, à laboribus, voluptariam vitam quæ-
rere, ut multis hoc familiare nimis, atq; utinam
non à parentibus innatum esset, sed ad pristinos
reverti labores, priora tractare studia, & specimen
etiam atq; monumentum suæ eruditionis erigere
suscepit, quod etiam tota adstipulante Doctorum
caterva consequutus est, & egregiam laudem pu-
blica oratione, de perpetuo Scholarum & Ecclesi-
arum Syncretismo, ad edictum tum temporis Re-
verendi admodum & Clarissimi Viri, Dn. Lucæ
Bacmeisteri S. S. Theologiæ Doctoris & Professo-
ris, hujus modo Ecclesiæ, & totius Diœcesios, Su-
perintendentis vigilantissimi, reportavit.

Cumq; hoc modo laudes, atq; ingenium ejus
per ora, quod dicitur, virum, volarent, & pede-
tentim Megapolensibus, à quibus studiorum gra-
tia, apud externos quasi exulasset, innotesceret,
ipsa Megalespoleos sidera ferirent, & in aulam
Illustrissimæ & Celsissimæ Ducissæ & Dn. Dn.
SO-

SOPHIÆ penetrarent, Bonorum commendatione ad publicum suggestum, & concionem ex illo habendam admissus est, simulq; ista concione tantum sui amorem in Illustrissimæ animo accendit, vt promovere eum unicè, & quam primū promovere laboraret, eamq; ob causam, Reverendissimo & Illustrissimo Principi ac Dn, Dn. JOANNI ALBERTO, Dn. nostro Clementissimo, ad functionem tum temporis vvacuam capessendam, suis instructum commendationibus transmitteret. Quæ res etiam ipsi feliciter cessit, atq; ante duodecim annos, Præsbyterium hoc, in quo mortuus est, publicè cepit, & fortean non minores in illo molestias, quam in priori scholastico pistrino habuerat, licet pleriq; omnes nostrarum molestiarum saturi, id vitæ genus eligant mirasq; sibi in illo delicias & voluptates somnient, expertus est, quod & muneris sublimitas, tum livoris proprietates portendere videtur.

Quanta verò fidelitate & industria, hoc ipso munere functus sit, mecum una omnes, quotquot opera ejus usi sunt, & res atq; rationes inspexerūt, testabuntur. Labia sacerdotis scientiam custodire, ejusdem ex ore legem requiri, sacræ literæ affirmant. A discipulis suis Timotheo atq; Tito Apostolus efflagitat, ut *ὕγιεινῶν λόγων ὑπόψοσις* sermonum sanorum, à se auditorum formam habeant, depositum servant eximium, omnis expertem reprehensionis doctrinam tueantur

Admittitur ad concionem publicam.

Constituatur Ecclesiastes Parochialis.

Livor super. quæq; petit.
Defuncti in pastortu fidelitas
Requisita sacerdotū
Doctrina.

tur: Præstitit hoc dum vixit, piè defunctus, Rev. M. ENOCHUS, & opere factoque ipso comprobavit. Attendere lectioni, exhortationi, doctrinæ, Timotheum suum Apostolus jubet: Memor idem hujus, nullum tali ab officii genere diem vacuum atque immunem, abire passus est.

○ Hortatur Thessalonicensis Ecclesiæ Doctores Apostolus, ut Auditorum habeant rationem, ἀντιλογησάμενοι moneant, animos fractos & consternatos solentur, sublevent infirmos, sint erga omnes μακροθυμοί: Et hoc ipsum probè nostrum Venerandum didicisse, Parochialistempli consortes, & illi præsertim norunt, quos molli nonnunquam objugare brachio, leniter tractare, & quorum, sine omni exulceratione animi injurias, ceu pillulas devorare non masticare solebat. Et sui, & universi gregis, Ecclesiæ Ephesinæ præpositos, curam gerere jubet Apostolus, ne Harpiis atque rapacibus lupis locus relinqvatur, & Ecclesia damnum vel jacturam sentiat: Et certè hanc sui officii partem noster in Christo demortuus, nulli priorum, aut potiorum, dum vixit concessit. Inter Ecclesiæ præfectorum ac πρεσβυτέρων officia etiam ægrotorum visitationes, D. Jacobus recenset: Neque hic quicquam livor ipsi detrahere vel maleferiati suggillare possunt. Noverunt, & suis etiam contagiosis in morbis, periculosissimo hoc tempore experti sunt ejus Paroeci, quam hac in parte fidelis & impiger extiterit. Vitam denique Pastorum Apostolus instituendam docet, ut sint

Vita.

ἀνεπίληπτοι: Et in hoc noster sæpius nominatus SCHWANTENIUS multus, imo totus fuit, ut non verbis solum suos doceret, v̄erum etiam exemplo inflammaret: Doctrinã mores institueret, Moribus, doctrinã ac confessionem condecoraret. Alienus ab habendi cupiditate, averſus à ſuperbia, remotus cæteris à vitiis eſſet, paci cum primis ac Concordiæ ſtuderet atq; ita de ſe v̄ere dicere moriens poſſet, quod de ſe in agone Pericles dixiſſe fertur.: *Neminem ſua operã pullam unquam veſtem ſuſſiſſe.*

Postquam v̄erò hoc ipſum, de quo non ſine honorificentiffima ejus mentione diximus, officium nactus eſt, ex ſolitaria & cœlibe vita, ad conjugalem tranſire, & de vitæ ſocia & compare ſollicitus eſſe cœpit, eamq; ex animi ſui ſententia invenit: Fœminam, non corporis modo v̄enuſtate præſtantem, ſed & familiis ortam honeſtiſſimis, omnibus iis virtutibus ornatam, quæ pias decorare Matronas, erigere & fulcire domos, maritorum recreare animos ſolent: MAGDALENAM BOCATIAM Reverendi & Clariffimi Viri Dn. M. ANTHONII BOCATII, Eccleſiæ Parchimienſis & vicinarum Superintendententis vigilantiffimi, relictam filiam: Neptem, Magni illius PIPERITII, primi Orthodoxæ religionis in Eccleſia Cathedrali aſſertoris, cujus laudes, non noſtris tantum, ſed & totius penè Megaleſpoleos literis & lingvis celebrantur, neq; ulla unquam ætas de illis conticeſet. Quem per quatuor, &

D

quot

Contrahit
Matrimo-
nium.

Laudes Pi-
peritii.

quot excurrit, lustra, magna devotione, laudatissima memoriae Princeps UDALRICUS, & tota Cathedralis Ecclesia justissimo Zelo fulminantem, invicto atq; imperterrito animo religionem susceptam propugnantem, magnoq; dolore, illam quam oculis nostris hodiè cernimus, hominum impietatem extimescentem, audiit: Cujus in docendo fervorem, in objurgando candorem, gravitatem in admonendo, in consolando suavitatem, non modò veneranda hujus Urbis canities, sed templi etiam parietes loquuntur, & viri hujus memoriam tacitè secum recordantur. Hujus dico, tam incomparabilis mystæ, cujus memoria florescere quotidie magis debet, tantumq; laudibus afferre, quantum vitæ diurnitas detraxit: Neptulam, piè noster in Christo defunctus, Matrimonio sibi copulavit, cumq; ea decem & duos ferè integros annos, in quieto tranquillo, & multis exoptato conjugio vixit, & quinq; adhuc superstites liberos, duas filias, & tres filios suscepit.

Progenerat Sobolem.

Defuncti infirma corporis Constitutio.

Premia vitæ scholasticæ.

Verum enim verò, cum lubrico vitæ cursu, & imbecilliori corporis constitutione semper uteretur, & præter alios morborum conflictus, modò cū passione Colica, modò cū Nephritide, modò cum Scorbuto, & sic cum vitioso totius naturæ, & omnium humorum habitu, quem ex laboriosa saxæ & indomitæ juventutis lapidicina olim contraxerat, dimicandum haberet, qui omnes & singuli tanquam Schwanteniani interitus hostes juratissimi, conjunctis viribus fragile corporis domicilium

lium diruere, inq; cineres & pulverem redigere laborabant, crebrisq; & continuis ictibus illud infestabant, & nuper ante mensis spatium, malignæ febris subsidio, totum occupabant, nulla iterum vi, aut Medicorum industria summoventi, multo minus arceri potuerunt, quanquam & Præstantissimi hujus loci Medici, extrema quæq; in ægroti restitutionem periclitantes, salutaria pharmaca, & tempeſtivam Phlebotomiam, fortissima semper ad invadendum hostem præſidia, illa ad repellendum, hanc verò ad intercipiendum aditum, & præcludendas vias primo obſidionis tempore, non neglexerunt; Tamen DEO aliter placuit, caducam hujus vitæ victoriam denegavit, ut cœlestis & nunquam perituræ compotem illum faceret, quod etiam ipsi displicere nullo modo potuit, vel debuit. Cumq; ita in acie per integros quatuordecim dies steterisset, tandem violentia Mortis superatus, cum symbolo à Christo concesso, placidè occubuit, exuvias ad tempus Mortæ exedendas: Animam, verò Salvatori Christo suscipiendam tradidit, & cum Propheta Samuele, cujus hoc anno præconem gessit, ominosa & valedictoriâ concione publicè se officio suo abdicavit, septimo fermè minus uno vitæ suæ septenario, qui doctis plerumq; & Claris Viris, ut & sexagesimus tertius fatalis & periculosus esse solet, quemadmodum historicæ computationes, & exempla Aristotelis, Ciceronis, ex nostris verò Lutheri, Philippi, Erasmi, & multorum aliorum testantur. . Opræma-

Malignæ
febris im-
petus.

Obitus.

Anno fata-
li & Clima-
terico.

Themistocles querela.

Parentum votum in nominis imposuit.

turum & plus quam præmaturum hujus præconis obitum.

Themistocles cum octogesimum ageret annum, atq; propiores sibi lineas duci animadvertet, cum fortuna exoptulare non dubitavit, quod tum mori cogeretur, cum sapere cœpisset: Decuplo profectò justius, noster Schwantenus, Fortunæ ad invidiam nomine uti, & fortunam suam, fortunæ exprobrare potuisset, non quod octogennarium, sed ne quinquagenarium supervivere, Ecclesiæ inservire, atq; operam suam Auditoribus commodare, & mœrentes atq; lugentes liberos & conjugem, sua præsentia & voce solari indulisset. O crudelitatem! O dolendam Fati inclementiam! Verbi divini præconem, in medio ætatis flore concidere, & opacas telluris sub umbras recondi. Prudenti quidem, quod nemo non conjiciet consilio, Parentes pii, suo recens nato filiolo ENOCHI nomen indidere, rati scilicet, quod præstitit, ut primi Præsulis exemplo, inter nos in Christi Ecclesia, Sacerdotem & Episcopum ageret: Neq; illos frustra habuit opinio, vel concepta spes fefellit; Viderunt quod optarunt toties, filium Mysteria tractantem, & salvifico verbi divini rore, præusta & torrida corda mulcentem: Sed quam omni opinione citius, tristissimum ejus obitum, cum conjugate atq; relictis liberis experiri, & deteriori hoc tempore, atq; conditione difficiliori experiri coacti sunt, & videre, quod in cœlestem migraret patriam, seq; suosq; omnes palantes

tes & vagantes hic relinqueret. Quis unquam iustissimum hujus præmaturi obitûs dolorem verbis exprimere, aut mente satis assequi potest?

Equidem non malè cum illo agitur, qui subito multis infortuniis & calamitatibus eripitur, & ex hac vitâ tanquam ex carcere aliquo obscuro, post multos exantlatos labores & molestias, æternæ beatitudini, atq; perenni cœlestis vitæ gaudio adjudicatur. Sed quid inde voluptatis, læticiæ aut vindiciarum, ad nos, & tristissimam ejus conjugem redundare potest? Quæ domi modo Turturis instar, amissum Comparem quærit, insatiabili adventum ejus desiderio expectat, & mellito ejus colloquio frui exoptat? Quis consveto in posterum more desertam solabitur? Quis paternam liberorum curam geret? Quis nos pariter omnes ejus amicos svavi colloquio exhilarabit?

Siccinè Reverende SCHWANTENI, te tuorum omnium oculis subducere, tuam præsentiam nobis invidere voluisti? Ita cum Conjuge dulcissima, charissimis liberis, & amantissimis Collegis agere constituisti? Quis te divinus agitatur Genius aut quæ cœlestes mentem illustrarunt Intelligentiæ? Sed regerere modo illum atq; respondere mihi audio, quod Socrates Critoni vehementer svadenti, ut si vitam ipse suam negligeret, certè liberis etiamnum parvulis, & amicis ab ipso pendentibus servaret incolumem, respondit: Liberi, qui mihi eos dedit, DEO curæ erunt, Amicos hinc discedens inveniam, vobis aut similes, aut etiam

Mortuorû
felicitas.

Defuncti
Profopocia.

Vitæ fugacitas.

Moriendi necessitas.

Bene vivere bonum est.

Alloquitur suos.

iam meliores², ne vestra quidem conversatione diu cariturus, quandoquidem vos brevi eodem estis commigraturi. Quid igitur, ó Charissimi Mortem mihi temporalem invidetis², cui æterna vita promittitur? Quid meam tantopere præsentiam desideratis, quã in æternum post fruemini? Quid enim est hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum, quod cum venerit, omnis voluptas præterita pro nihilo est. Inter eum, qui decem annos vixit, & illum, qui mille, postquam idem vitæ finis advenerit, & irrecusabilis necessitas, transactum omne tantundem est, nisi quod magis senex peccatorum fasce proficiscitur. Moriendum, moriendum omnibus, &

Longius aut propius Mors sua quemq; manet. Ex ipso enim, momento, quo homo nascitur, morti damnatur & semper secum cogitat, qualis vita, non quanta sit. Non omne vivere bonum est, sed bene vivere. Et:

Qui putat esse brevem, brevis huic quoq; vita futura est (fluet.

Qui longam, huic citius quam putat esse Felicem igitur, & plus quam felicem meum obitum. Qui exiguo temporis spatio vitæ meæ curriculum absolvi, & sicuti in Christo semper vixi, felicem etiam & placidum hujus vitæ exitum consecutus sum.

Tu mea quondam summa voluptas Ecclesia, alio posthęc Præcone uteris², Tu meæ delitiæ, meum Cor, mea anima, suavissima Conjux in Christi

Christo voluptatem tuam atq; gaudia habebis: Vos mei liberi, DEO orphanorum fidelissimo Patre ab hoc tempore fruemini: Vos ô Collegæ atq; amici mei mellitissimi, fraterno Christi amore abundè satiabimini: Ego, Ego latè hinc in exoptatam Patriam migro: Vos, vestro, quem DEUS prorogatum velit, elapso vitæ termino sequemini. Sic dixit, & sermonem simul viramq; finiit, & ante tres septimanas hâc ipsa hora placidè expiravit.

Restare nunc, atq; unicum hoc superesse existimo Audit. Rever. Clariss. ut recens hoc inflictum vulnus, supremo Archiatro Christo sanandum, & nostram, totiusq; Ecclesiæ miseriam mitigandam commendemus. Nautæ profectò, vel imminente, vel concitata jam tempestate, conjunctis operibus: alii vela contrahunt, alii sentinam exhauriunt, alii merces, quantumvis pretiosas ejiciunt, nihil deniq; non aggrediuntur, ut salutis & incolumitati suæ quoquo modo consulant: Idem nos quoq; in communibus his miseris præstare par est, ut nostris officiis, consentientibus studiis fideliter perfungamur, arreptaq; ante omnia, sacrosanctæ fidei & invocationis anchora ad sapientissimū gubernatorem Christum confugiamus, eundem supplicibus votis rogemus ut pericula, quæ imminere plurima videntur aut remove prorsus, aut lenire, & Ecclesiæ nostræ suo tempore de alio fideli & industrio Ministro prospicere, divulsâ mœrore corda, sacrosancto
sui

Epilogus.

fui Verbi balsamo consolidare dignetur. Ipse
insuper Reverendissimum, Illustrissimū nostrum
Principem cum generosissima familia, atq; Ma-
gnificis & Nobilissimis Consiliariis custodiat.
Reipubl. hujus Magistratum conservet, Ecclesi-
am tueatur, & Scholam defendat, nosq; omnes
Spiritu suo Sancto regat, ut talenti commissi me-
mores, ejusdemq; aliquando reddita ratione, Vo-
cem illam lati latam audiamus: Euge serve bo-
ne, qvonia in paucis fidelis extitisti, supra multa
te constituam: In Domini tui gaudium ingrede-
re: Faxit Jehova, Faxit. AMEN.



www.books2ebooks.eu